DE GENTIUM COGNITIONE DEI.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De gentium cognitione Dei.

§. 1.

De falsorum deorum cultus origine.

Libri sacri docent, cum gentem Noachidarum, numero eorum in immensum multiplicato, Deus linguarum confusione coegisset, ut in gentes et nationes et populos discederent atque huc et illuc dispersi orbem terrarum et insulas replerent, placuisse eidem, ut homines suis solis viribus atque studiis, divino magistro nullo, ipsum quaererent, si forte attrectarent aut invenirent. (Act. Ap. XVII. 27. ed. vulg.) Passus est pro sapientia sua atque consilio eos ad suum arbitrium vivere, ingredi vias suas (Act. Ap. XIV. 15.), et quo vellent, vagari, ut, si quando in miseriam praecipitatis manum porrigeret, complecterentur eam et ad revocantem se redirent. Et nimirum gentes, disciplina et ductu divino destitutae et flagitiosae factae, quum religio antiquitus a Deo tradita depravaretur aut in oblivionem paene venisset, a notitia Dei aberrare et per inextricabiles tenebras vagari coeperunt. Orta est ista, quae vocatur, gentilitas. Res creatae in Dei locum subiere; homo curvus in terram et caelestium inanis factus Deum sub pedibus quaesivit; debitum summo numini cultum transtulit ad naturam eique se dedit in turpem servitutem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 2.

Ex animis hominum nunquam extracta est radicitus religio.

Tametsi gentes, quum doctorem veritatis ducemque divinum nullum haberent, procul ab agnitione cultuque maiestatis Dei singularis et veri aberraverunt, tamen nusquam ex animis eum esse exui potuit. Nulla gens toto terrarum orbe, nec tam a cultu atque humanitate aliena, nec tam in insulas demota unquam inventa est, quae non, etiamsi multa prava de ea senserit, vim et naturam divinam esse arbitrata sit. Populi hac una in re non dissederunt [1]). Verum non solum supremum quoddam numen esse censuerunt, sed etiam ab eodem mundum et quae eo continerentur, administrari et regi, rebus humanis consuli et provideri, eo esse respiciendum, id colendum, id extimescendum, inde pendere omnia [2]).

---

1) Plutarchus contra Colosem pag. 1125.

Εὕροις ἂν ἐπιὼν πόλεις ἀτειχίστους, ἀγραμμάτους, ἀβασιλεύτους, ἀοίκους, ἀχρημάτους, νομίσματος μὴ δεομένας, ἀπείρους θεάτρων καὶ γυμνασίων· ἀνιέρου δὲ πόλεως καὶ ἀθέου, μὴ χρωμένης εὐχαῖς, μηδὲ ὅρκοις, μηδὲ μαντείαις, μηδὲ θυσίαις ἐπ' ἀγαθοῖς, μηδὲ ἀποτρόπαις κακῶν, οὐδείς ἐστιν, οὐδ' ἔσται γεγονὼς θεατής· ἀλλὰ πόλις ἄν μοι δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρίς, ἢ πολιτεία τῆς περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.

Cicero de legibus, I, 8, 24. Ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei; ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat.

2) Hom. Odyss. III. 45 sqq.

Αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε καὶ εὔξεαι, ἥθέμις ἐστίν,
δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιήδεος οἴνου
σπεῖσαι· ἐπεὶ καὶ τοῦτον οἴομαι ἀθανάτοισιν
εὔχεσθαι· πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Cic. de divin. I, 51, 117. Sunt dii, et eorum providentia mundus administratur, iidemque consulunt rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 3.

Causa prima, cur aliqua notitia dei in gentibus resederit, est religio, quam Deus ipse primo patefecerat.

Deus ipse, ut e libris sacris intelligitur, ea, quae ad sui agnitionem cultumque pertinerent, homines primitus edocuit atque religione imbuit. De coelo descendisse, cum iis communicasse atque articulatim locutum esse, doctorem sapientiae ducemque veritatis ipsum fuisse legimus. Illa divinitus tradita religio communis omnium erat, eamque, cum profugi et avulsi a radice stirpis ad quaerendas sibi novas sedes huc atque illuc digrederentur, quocunque ierunt, quasi haereditariam secum sumsere, quae pro fundamento subiecta dei cognitionem et cultum servaret et tueretur, et quasi filum quoddam cæcos eorum gressus regeret. Et revera quo recentior memoria eius erat et quo propius aberat ab Chaldaea Asiae, generis humani incunabulis, eo verior et candidior cognitio Dei inter homines viguit et manifestiora pristinae integritatis vestigia animadvertuntur [1]).

Accidit autem, quod fuit necesse, ut diuturnitate temporis in locisque magno intervallo a primis hominum sedibus remotis aut depravaretur et turbida et distorta appareret, aut abolesceret et obliteraretur, quemadmodum radii luminis, quo remotiores ab ortu, hebescere et plane tandem evanescere solent.

Nec tamen religio, qua homines ante dispersionem divinitus imbuti fuerant, ita unquam deleta est, ut non levia quaedam eius vestigia relinquerentur. Mirus quidam consensus et concentus eorum, quae literae sacræ docent et quae mythi ferunt, reperitur. E fabulis, quae quamvis obscurae, monstrosae, delirae per gentes manarunt, aliquod veri lumen elucet. Jacent in isto sterquilinio margaritae quaedam. Quis non in illis, quae mythologi et homines docti dicunt de Chao, unde res omnes huius universitatis prodierint [2]), de aureo saeculo [3]), de diis primis hominum eruditoribus eorumque praesentiis saepe declaratis [4]), de maiori animi corporisque hominis antiqui praestantia [5]), de deterioribus deinceps aetatibus [6]), de Deucalionis diluvio [7]), quis non deprehendit ea, quae a scriptore divino de mundi creatione, de beata in paradiso vita, de Dei educatione et doctrina hominum, de peccato et insequente illud generis humani

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deteriori conditione, de universali diluvio tradita sunt? Illa admirabilis Pandora, ex cuius pyxide, omni malorum genere referta, pestes omnes, febres et morbi in genus humanum late diffusa sunt, nonne mulierem esse malorum causam obscure indicat? Gigantes, quos aliis atque aliis montibus superingestis diis bellum inferre et Jovem pellere de sede coelesti voluisse et fulminibus percussos esse et interfectos poetae ferunt, quid aliud fuisse credendum est, quam illam superbam impiamque gentem turrim Babylonicam aedificantium [8])?

1) Johannes von Müller allgemeine Geschichte I, 24. Es ist in der That auffallend, dass von Gott, von der Welt und von der Unsterblichkeit, ja von den Bewegungen der Gestirne, die ältesten, in andern Dingen ganz uncultivirten Völker ganz wahre Vorstellungen und Kenntnisse hatten, indess die Künste, welche zu den Bequemlichkeiten des Lebens gehören, viel jünger sind. In den höchsten Sachen dachten die ältesten Menschen richtig, in Lebensgeschäften waren sie Kinder. Von jenen Urbegriffen erhält sich nachmals bei den meisten Völkern dunkles, entstelltes, missverstandenes Andenken.

2) Ovidii met. I, 5 sqq.

3) Ovid. met. I, 89 sqq. Virg. Georg. I, 25 sqq.

4) Cic. de Leg. II. 11, 27. Ritus familiæ patrumque servare, id est (quoniam antiquitas proxime accedit ad deos) a diis quasi traditam religionem tueri.

5) Seneca, ep. 90. Non negaverim, fuisse alti spiritus viros et, ut ita dicam, a diis recentes. Neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effoetus ediderit.

Cic. Tusc. Quæst. I, 12. 26. Omnis antiquitas, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.

6) Virg. Georg. I, 150—155. Ovid. met. I, 113 seqq.

7) Ovid. met. I, 253. seqq.

8) Ovid, met. I, 151 seqq.

Græcis et Romanis religionis traditæ memoria videtur ablata esse sic, ut Paulus apostolus proponens ea (Rom. I, 19 seqq. II, 14. 15.), quæ ad intelligentiam Dei gentiles perducere potuerint, huius ad Deum ducis non meminerit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 4.

Mens humana per se de Deo eiusque natura docet.

Deus ipse in animis hominum sui notionem impressit pressaque ibi vestigia reliquit, sedem ibi collocatam habet. Est quiddam in omnibus, etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans, esse quempiam, qui nos ediderit, nos instruxerit, animet, illuminet, unde pendeamus, cui omnia debeamus, ad quem respicere, quo tendere, in quo requiescere necesse sit, si vera pace et requie frui velimus. „Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.“ Aug. conf. I, 1. [1]).

Neque illa externa et adventicia Dei in nobis scientia est, quae, si libuerit, evelli possit, sed innata et insita, ut non esse nequeat [2]), ut, velint nolint, se ingerat [3]). Natura omnipotenti Deo obstricti et religati sumus, utque acus magnetica septentriones spectat, ita haec certa notione animi praesensio Dei quasi digito eum monstrat eaque ad hunc dirigimur. „Animae a primordio conscientia Dei dos est: eadem nec alia et in Aegyptiis et in Syris et in Ponticis.“ Tert. contra Marcion. I, 10.

Enimvero anima, licet peccatorum labibus et vitiorum maculis inquinata abducatur a suo naturali proposito, tamen saepe illuc, unde orta est, recurrit, ut exprimat innatos veritatis igniculos, et quo magis agitata et pressa necessitatibus, eo verior, simplicior et, ut ita dicam, naturalior est sermo et clamor eius [4]).

Hoc animae testimonium patres et scriptores ecclesiastici, doctrinae christianae defensores, quum ceteris gravissimis lectissimisque argumentis gentium duritiam infringere non potuissent, appellaverunt [5]).

Hanc insitam et quasi consignatam in animis hominum notionem Dei Paulus (Rom. II, 14, 15.) legem in cordibus gentium inscriptam appellat, qua impulsi Deum quaesiverunt, si invenirent et deprehenderent.

In hanc sententiam dicit Naegelsbach in libro egregio, qui inscribitur Homerische Theologie, prooem. p. XII.

„Es stellte sich mir (bei meiner Forschung, das Wissen des homerischen Menschen von der Gottheit verstehen zu lernen) das Sehnen und Ringen des Menschengeistes nach dem Besitze des Einen, des lebendigen, persönlichen Gottes dar, ohne welchen derselbe sich nicht zu beruhigen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

und zu befriedigen, den ihm keine, dem Alterthum stets nahe liegende pantheistische Weltanschauung zu ersetzen vermag. Dieses Suchen Gottes ist der lebendige Pulsschlag in der gesammten religiösen Entwickelung des Alterthums."

1) Seneca epist. 41. Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos: hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum habitat Deus."

Cic. Tusc. I, 13, 30. Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio." Cfr. de nat. Deor. I, 16, 17. Sen. ep. 117.

2) Cic. de. nat. Deor. II, 2, 5. Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum seculis aetatibusque hominum inveterari potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse.... Opinionum enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.

3) Plin. ep. VII, 26. Proximus morti tunc deos, tunc hominem esse se meminit.

4) Clem. Alex. coh. ad gentes p. 15. ed. Sylburg.

„*Ἦν δέ τις ἔμφυτος ἀρχαία πρὸς οὐρανὸν ἀνθρώποις κοινωνία, ἀγνοίᾳ μὲν ἐσκοτισμένη, ἄφνω δέ που διεκθρώσκουσα τοῦ σκότους καὶ ἀναλάμπουσα.*"

Lact. instit. divin. II, 1. Cum ipsos Deorum cultores saepe videamus Deum summum et confiteri et praedicare: quam sibi veniam sperare possint impietatis suae? qui non agnoscunt cultum eius, quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam et cum iurant et cum optant et cum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit. Quod quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, quum beneficiis eius fruentes honorem dare divinae indulgentiae deberent. At vero si qua

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

necessitas gravis presserit: tunc Deum recordantur . . . . . , ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium; Deus, ut subveniat, oratur.

5) Tertull. Apolog. 17. Vultis et ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur: vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus? Quae licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus, bonus et magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet O testimonium animae naturaliter christianae! Denique pronuncians haec non ad capitolium, sed ad caelum respicit. Novit enim sedem Dei vivi; ab illo et inde descendit." Cfr. eiusdem libellus de testimonio animae.

§. 5.

Mundus Deum conditorem atque administratorem sui esse testatus est.

Deus, quum genus hominum, ut uterentur sua voluntate, dimisisset, nunquam desiit testari se esse, et se esse numen potentissimum, sapientissimum, beneficentissimum, idque clarissima multorum argumentorum luce manifestum fecit, ut neminem posset latere. Quippe ex mundi fabrica annuisque muneribus, quae elementorum ministerio humanis usibus exhiberi decrevit, intelligi et metui divinitatem suam voluit. „Et quidem non sine testimonio semet ipsum reliquit (act. XIV, 16.), benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra.

Rerum universitas, quotquot vastissimo mundi ambitu continentur, et quem in iis tum ordinem, tum pulchritudinem demiramur, fuere totidem sudissima specula, in quibus benignitatem, sapientiam, potentiam, reliquasque magni illius opificis excellentias et perfectiones clarissime intueri liceret.

Principio totius mundi adspectus, tanta moles naturae satis iis indicavit, ea non esse fortuita. Esse horum effectorem humana ratione asse-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

verandum fuit, quae nullius rei causa remota reperire originem potest, et ad quempiam perveniat necesse est, qui nec factus nec genitus est, quo quum progressa sit, non habeat aliquid ulterius, et subductis et consumtis omnibus viis, ut Lactantius ait, subsistat, haereat, deficiat.

Nec minus haec tanta tamque innumerabilia eo ordine, pulchritudine, magnificentia, utilitate coegerunt fateri esse quempiam, cuius summa ratione et consilio et benignitate constarent et regerentur et ministrarentur. Rerum magnitudo, dispositio, constantia, commoditas sunt quasi hieroglyphicae quaedam literae, quibus a condito mundo usque Deus se esse et qualis esset, scripsit et testatus est, quas non modo docti, verum etiam indocti legere et intelligere, quarum adspectu ad majestatis conditoris et gubernatoris intelligentiam pervenire possent.

Ac sane haec intuens animus accepit ab his cognitionem Dei; in tot tantisque operibus, in magnificentia rerum architectum, moderatorem rectoremque prehendit.*)

Hoc testimonio, quod ducitur ex mundi creatione, ex admiratione rerum caelestium et terrestrium earumque commoditatibus, usus est Paulus, Rom. I, 18, 19, 20. „Revelatur ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent, quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus et divinitas.“

*) Cic. de divin. II, 72, 148. Esse praestantem aliquam aeternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri.

De nat. Deor. II, 38, 97. Quis hunc hominem dixerit, qui, quum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se omnia connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? Cfr. de nat. Deor. II, 37, 95. Tusc. I, 28.

Plat. de legg. X. init. *Γῆ καὶ ἥλιος ἄστρα τε τὰ ξύμπαντα καὶ τὰ τῶν ὡρῶν διακεκοσμημένα καλῶς οὕτως, ἐνιαυτοῖς τε καὶ μησὶ διειλημμένα (λέγουσιν) εἶναι θεούς.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 6.

His, de quibus dictum est, ducibus et magistris ad aliquam cognitionem Dei gentes pervenerunt et quaedam vere de eo praedicaverunt.

Quae mentis lumine et rerum contemplatione de Deo eiusque natura ab homine cognosci possint, fuere ab illis cognita. „Quod notum est Dei, manifestum est in illis," ait Paulus.

Esse Deum et eum quidem omnipotentem [1]), omnia providentem et animadvertentem [2]), ubique praesentem [3]), benignum [4]), sanctum [5]), sempiternum [6]) crediderunt et confessi sunt.

1) — *θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.*
Od. X, 306.

2) — *θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν.*
Od. IV. 379.

— *Εἰ δὲ θεὸν ἀνὴρ ἔλπεταί τε λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.*
Pind. Ol. I, 64.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.
Hes. ἔ. κ. ἡμ. 267.

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι·
ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.
Il. II. 484, 485.

3) *Κλῦθι, ἄναξ, ὅς που Λυκίης ἐν πίονι δήμῳ*
εἶς, ἢ ἐνὶ Τροίῃ· δύνασαι δέ τε πάντοσ' ἀκούειν.
Il. XVI, 514, 515.

4) *θεὸς πρόςωθεν εὐμενῶς προςδέρκεται.*
Aesch. Agam. 952.

5) *Εὖ γὰρ οἶδ' ὅτι*
θεοὺς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει.
Soph. Ant. 1044.

6) — *θεοὶ αἰὲν ἐόντες.*
Il. I. 290.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De unitate divinae potestatis.

Nec non talem esse Deum praesensit gentilitas, ut esset unus. Itaque quamvis magnam deorum turbam congregaverint, unum tamen illis praeficiunt, huic assignant principatum, ad hunc unum referunt omnia. Cumque reliqui dii singulis rebus et partibus, terris et urbibus praesint, intraque praescriptos suos quisque limites se contineant, satellites quidam et ministri, ab illo uno maximo et potentissimo omnium officiis his praefecti: ille singularis ubique est, ubique regnat, summam imperii tenet; ille proprie τὸ θεῖον esse perhibetur. „Veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam caecus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem. Poetae igitur, quamvis deos carminibus ornaverint, et eorum res gestas amplificaverint summis laudibus: saepissime tamen confitentur, spiritu vel mente una contineri regique omnia.“ Lact. inst. dio. I. 5.

Quid prius dicam solitis parentis
laudibus? qui res hominum ac Deorum,
qui mare et terras variisque mundum
temperat horis.
Unde nil maius generatur ipso,
nec viget quidquam simile aut secundum.
Hor. Od. I. 12.

Ille summus Deus, cui nomen Jovis, quod etym. caeli pater, caelum est, tribuerunt, primum dominatur in physicis rebus; est ille pluvius, νεφεληγερέτης; fulminator, τερπικέραυνος; tonans, ὑψιβρεμέτης; tum rex hominum et deorum pater, Optimus Maximus; hinc saepius: ὕψιστε θεῶν; κύδιστε, μέγιστε. Omnia in rebus humanis moderatur et movet et regit; est ὕπατος μήστωρ; est ἱκέσιος, ξένιος dominus fati, et quae sunt reliqua.

Graviter et praegnanter summa eius potentia et maiestas declaratur Jl. VIII. 5 — 27; I, 528 — 530. Latius et diffusius haec diligenter exposita vide a Winiewski: Ueber die Behandlung der Religion der Alten auf Gelehrtenschulen. Museum des rhein. westph. Schulmänner-Vereins. 1 B. 1 Heft. Cfr. etiam Hartung: Die Religion der Römer, 2ter Band. Erstes Kapitel. Ueber Jupiter. Fr. Creuzer: Symbolik und Mythologie, t. II. p. 483. sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Jtaque ex ipso polytheismo aliquod monotheismi lumen elucet, tamque alte Deus animis nostris infusus est, ut nomen eius, quo omnes vehimur, nunquam ex hominum memoria prorsus ablatum sit.

Fieri potuit, ut homines, ab ipso Deo non edocti atque admoniti, tamen servata antiquitus tradita religione, atque ducente natura et ratione cognitionem cultumque Dei veri tuerentur et confiterentur.

§. 7.

Qui factum sit, ut gentes a veritate aberraverint.

Jam restat, ut fontem patefaciamus caussamque explicemus, qua deducti et decepti homines Deo, quem praesensione sua et mundi contemplatione cognitum et a patribus hereditate quasi relictum haberent, retrorsum rapti, ut Lactantii verbis utar, debitum cultum denegaverint, obduraverint se contra manifestam veritatem, quumque habernet iter rectum, devios secuti sint anfractus; planum deseruerint, ut per praecipitium laberentur; lucem denique reliquerint, ut in tenebris caeci ac debiles iacerent. Non omnino, ut dictum est, ab ignorantia divini nominis venit ista oblivio et error. Nec enim ratio humana Deum quaerere desiit et natura ducente invenit eum. „Sunt inexcusabiles, quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt.“ (Rom. I. 21.) Vide, ut non eos dixerit Dei cognitionem non cepisse, sed cognitum non coluisse.

Praeterquam quod, cum religio divinitus temporibus antiquissimis patefacta paene evanuisset, Deus unus et verus tantum non ex memoria hominum elapsus negligi coeptus est, princeps fons et causa, quae ignorantiam Dei et falsorum Deorum cultum invexerit, auctore Paulo apostolo ex gentium iniustitia et pravitate, ex peccatis repetenda est, quae inimica veritatis offuderunt tenebras hominumque mentem natura non amplius integram plane caecarunt, ne lucem viderent, ne denique in caelum adspicerent; quae notiones Dei insitas perturbarunt et obscurarunt; legem in membris repugnantem legi mentis dominatricem, et liberum arbitrium, viribus iam attenuatum et inclinatum, captivum fecerunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„Nequeunt (improbi) oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuae veritatis attollere, similesque avibus sunt, quarum intuitum nox illuminat, dies caecat.“ Boeth. cons. phil. IV. pros. IV.

„Humanas animas liberiores quidem esse necesse est, cum se in mentis divinae speculatione conservant; minus vero, quum dilabuntur ad corpora, minusque etiam, quum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, quum vitiis deditae rationis propriae possessione ceciderint. Nam ubi oculos a summae luce veritatis ad inferiora et tenebrosa deiecerint, mox inscitiae nube caligant, et perniciosis turbantur affectibus. Quibus accedendo consentiendoque, quam invexere sibi, adiuvant servitutem, atque sunt quodammodo propria libertate captivae“ Jd. cons. phil. lib. v. pros. II.

Ad omnem vitae licentiam proiecti totique addicti libidinibus eo vecordiae, eo insaniae devenerunt, ut animo totaque natura reclamante ad manifestam veritatem oculos et aures clauserint, et, plena in luce caligantes, auribus surdi, tam non multum a brutis animalibus differentes facti sunt, ut maiestate singularis Dei, quae sola maxime colenda esset, potissimum neglecta terram, pedibus nostris subiectam et calcandam, adoraverint.

Quos Deus humo excitatos celsos et erectos ad caeli spectaculum constituerat, ut ipsum cognoscerent et colerent, quibus mentem rationemque, qua in caelum usque penetrarent, dederat, curvato corpore ritu pecudis despicere in terram maluerunt.

Cum vero in omnium animis Deus ipse notionem sui impresserit, et Dei character in homine ad imaginem eius formato ita reluceat, ut sine Deo esse non queat: genitae sunt falsae opiniones religionesque superstitiosae, insanae, abominandae, quibus summum numen jam non agnosceretur, nisi in figmentis digitorum eius, iis in rebus, quae vel oculis vel aliis sensibus percipiuntur.

Atque quid censemus quantam ortam esse decursu temporum mentis caliginem et morum corruptelam, quippe quum altera alterius vires intendere consueverit? Hinc insecutum est omne nefas, et crevit illa seges scelerum et flagitiorum, quae enumerat Paulus (Rom. I. 24 sqq.) Atque: „Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium.“ (Rom. I. 21, 22, 23.)

*Cum hac de re disseram, sermo est de religione vulgari, cuius poetae potissimum sunt praecones Omitto illos paucos summo ingenio viros, qui intento mentis studio quaerentes et scrutantes veritatem attigerunt et prope tenuerunt, melius quiddam et perfectius de Deo animo complectentes, de quibus Clem. Alex. coh. ad gentes pag. 44.

„*Πασὶν ἁπαξαπλῶς ἀνθρώποις, μάλιστα δὲ τοῖς περὶ λόγους ἐνδιατρίβουσιν ἐνέστακταί τις ἀπόῤῥοια θεϊκή. Οὗ δὴ χάριν καὶ ἄκοντες μὲν ὁμολογοῦσιν ἕνα τε εἶναι θεὸν, ἀνώλεθρον καὶ ἀγένητον· τοῦτον ἄνω που περὶ τὰ νῶτα τοῦ οὐρανοῦ, ἐν τῇ ἰδίᾳ καὶ οἰκείᾳ περιωπῇ ὄντως ὄντα ἀεί. Θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νοητέον;*

Τὸν πάνθ' ὁρῶντα, κ' αὐτὸν οὐχ ὁρώμενον,

Εὐριπίδης λέγει.

Primum quidem homines, quum caelo relicto cognitionem Dei unius et veri amisissent, elementa, Dei opera Deo praetulerunt et adoraverunt. Tota natura sentire et intelligere putata est, et quae eius res maxime utiles et salutares videbantur, deorum sunt vocabulis nuncupatae. Caelum, terra, sol, luna, astra, ignis, mare, fluvii, rivi, fontes, venti, reliqua pro diis habita sunt. Vel maiores nostros deorum numero eos duxisse Caesar refert, quos cernerent et quorum aperte opibus adiuvarentur. Quae ratio religionis, qua Deus cum natura confunditur, resque creatae divinum numen esse putantur, est iste, qui vulgo vocatur, pantheismus.

Qui vero ad humanum civilemque cultum processerant, se intellexerunt â caeco atque inanimo numine regi non posse. Hinc Graeci primi, cultissima et humanissima antiquitatis natio, deos naturales mente et cogitatione a physicis rebus distinxerunt atque seperaverunt, iisque animam et mentem dederunt, sic, ut separati ab his rebus, quae ipsae dii esse antea putarentur, et esse per se et illis rebus praeesse cogitarentur et crederentur. Eosdem humana specie induerunt, ad similitudinem sui fecerunt, praestantiores quidem et animo et corpore, ceterum similes et similia consectantes, quin vitiis et pravitatibus humanis affectos.

Cic. de nat. Deor. II, 23, 70. Videtisne igitur, ut â physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta sit ratio ad commenticios et fictos deos? Quae res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles; et formae nobis deorum et aetates et vestitus ornatusque

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

noti sunt; genera praeterea, coniugia, cognationes omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanae; nam et perturbatis animis inducuntur: accepimus enim deorum cupiditates, aegritudines, iracundias: nec vero, ut fabulae ferunt, bellis proeliisque caruerunt; nec solum, ut apud Homerum, quum duo exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus sua propria bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis summaeque levitatis.

Cfr. de nat. Deor. I, 16, 42. Lact. inst. div. I. 17. Naegelsbach: Homerische Theologie. 2ter Abschnitt. Die Gliederung der Götterwelt. Der olympische Staat.

Clem. Alex. coh. ad gent. p. 39. *Οἴμοι τῆς ἀθεότητος! σκήνην πεποιήκατε τὸν οὐρανὸν, καὶ τὸ θεῖον ὑμῖν δρᾶμα γεγένηται, καὶ τὸ ἅγιον προσωπείοις δαιμονίων κεκωμῳδήκατε, τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν δεισιδαιμονίᾳ σατυρίσαντες.*"

E. A. Böttiger, Ideen zur Kunst-Mythologie. Seite 211. „Das Wesen des Hellenismus lag darin, dass es sich nicht allein von jener symbolischen Vorstellungsart immer mehr los machte, sondern auch ein menschlicheres Gebilde an dessen (des Naturmythus) Stelle setzte. Die Götter der Griechen wurden moralische Personen, nicht in dem Sinne, als ob ihnen ein höherer sittlicher Adel beigelegt wäre (das Gegentheil ist bekannt, sie treiben Ehebruch, hassen und beneiden sich wie die Menschen), sondern dass ihnen die ganze moralische Natur des Menschen mit ihren Vorzügen und Mängeln, nur mit dem Nebenbegriff höherer physischer Kraft, unzerstörbarer Körper, grösserer Schönheit zugetheilt wurde. Bei den Barbaren waren die Götterbilder nur Personificationen, Unterlagen gewisser Naturgegenstände und Kräfte; bei den Griechen erhielten die Götter den Charakter moralischer Wesen, welche durch Poesie ausgesprochen, durch Kunst zum Ideal erhoben wurden, u. s. w.

Magna eorum congregata est turba, a physicis potissimum rebus tracta, quibus nomen diis Olympiis est, eorumque cultus polytheismus dicitur. Praeterea rebus incorporeis, ethicis, aliis divinitas est tributa. Mens eiusque vires, virtutes, quin vitia consecrata sunt.

Nec non suscepit vita hominum consuetudoque communis (Cic. de nat. Deor. II. 24), ut beneficiis excellentes viros in caelum fama ac voluntate tollerent.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In hanc tantamque multitudinem divinitatem partiti sunt, qua distributione divinam vim et potestatem diminui necesse erat, cum unicuique tantum, quantum reliqui possiderent, deesset, nec cuncti talem, qualem ratio requirit, efficerent. Atque ita Deum, quem verbis reliquerant, re sustulerunt. Hanc sententiam habet illud Pauli (Eph. II, 12.): „Eratis sine Deo in hoc mundo.“ Tert. contra Marcion. I, 3. „Deus, si non unus est, non est.

Hinc ista rationis totius Polytheismi inconstantia, cum animae testimonio, insculptae in nobis Dei notioni contraria atque adversa sit; hinc tot fluctuantes, incertae, instabiles de diis opiniones. Mens sibi ipsa dissentiens et in contraria distracta non habet in hoc dissidio, quid facile sequatur; pugnantia dicit, et alios, atque alto animo credit et nonnunquam quasi invita confitetur, agentes et molientes facit. Cum enim optimos, praestantissimos, praepotentes, benignos, omnia providentes, sanctos dicat esse, negat alibi eadem deos esse tales. Omnia humana ad eos transfert. Nisi figuris hominum constitutis nihil potest de iis cogitare eosque hominum similes putat. Videmus eorum ortus, interitus, lamentationes, aegritudines, libidines, odia, dissidia, discordias, reliqua.

Vid. Naegelsbach, p. 37, a quo hac de re ita scriptum est: „Wir haben das menschliche Bewusstsein bemüht gefunden, die Gottheit in jeder Beziehung über den Bereich des Menschlichen empor zu heben. Da stellte sich denn jederzeit ein Widerspruch des menschlichen Glaubens von den Göttern mit der Wirklichkeit der im Epos handelnd eingeführten Gottheit heraus. Die Menschen Homer's denken besser von ihren Göttern, als diese sind; es ist die Erscheinung derselben der Vorstellung, die sich der Mensch von ihnen bildet, durchaus nicht angemessen, oder es ist vielmehr die Vorstellung trotz ihres Bemühens im Denken der Gottheit sich selbst vom Irdischen zu entkleiden, unmittelbar und eodem actu wieder irdische, menschliche Vorstellung. Die Sehnsucht, das Bedürfniss des Menschen nach einer Gottheit, die nicht Bein von seinem Bein und Fleisch von seinem Fleisch ist, reicht weiter, als sein Vermögen, diesem Bedürfniss Befriedigung zu schaffen.“

Pauca ad eorum, quae demonstrata sunt, probationem de Jove Optimo Maximo subiiciam.

Juppiter, ille princeps et summus rector, rex deorum atque hominum, tantum abest, ut auctoritatem suam et imperium in reliquos teneat,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ut a Junone et Neptuno et Minerva paene vinculis constringatur. Il. I, 398 sqq.

Atque illum, quem gravissimum atque venerabilem admodum Homerus Il. I, 528 sqq. effingit, ut totum nutu tremefaciat Olympum, proximis versibus 517 sqq. inducit timentem mulieris iram.

Tribuitur ei, quod efferati ira, saevientis insanientisque [1]), mendacis et fraudulenti hominis [2]) est.

1) Il. I, 586 sqq. XV, 14 sqq.

2) Il. II, 8 sqq.

§. 8.

De fato.

In illo summo ac principe deo animus humanus conquiescere non potuit; neque enim talis fuit, qualis animis infusus est. Hinc aliud, quo menti optimo et praestantissimo numine imbutae satisfacerent, tentaverunt. Statuebant enim melius aliquid et maiore vi praeditum, quam deos, inanimum et sine corpore quiddam, idque nomine fati nuncupaverunt, quo nomine providentia seu causa hunc mundum tuens et regens rebusque humanis providens quaedam dea singularis fingebatur. Est autem fatum, graece *εἱμαρμένη, μοῖρα* (ut Cic. definit div. I, 55.), ordo seriesque causarum, quum causa causae nexa rem ex se gignat; est necessitas quaedam, qua omnes res actionesque aliquando fieri statutae necessario futurae sunt, nec est vis ulla, qua levetur aut rumpatur. — Sed in his quoque magna inconstantia opinionum ostendit se et occurrit; mens, inter diversas sententias nunc huc nunc illuc fluctuans, iis, quae alibi dixit, contraria nonnunquam dicit. Tum res ex fati necessitate, tum ex Deorum voluntate descendere putantur et illud nihil aliud esse nisi horum placitum et consilium dicitur. Atque Juppiter modo ei obediens fit aut subiectus [1]), modo dominus fati, *μοιραγέτης*, appellatur [2]).

1) Homerus (Il. XVI, 433 — 438), ut Cic. ait div. II, 10, querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset.

2) Il. XXIV, 527 sqq. memorantur duo dolia, quae reposita iacent in Jovis aedibus, quorum ex uno ille bona, ex altero mala hauriat et hominibus dispertiatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aliquando Juppiter libra hominum fata trutinans inducitur, ut aut quae cui impendeant, aut quid sibi faciendum sit, exploret. Vide Il. VIII, 69 sqq. et XXII, 208 sqq. Hoc idem significant Virgiliani illi in eandem sententiam versus, Aen. XII, 725 sqq.

Juppiter ipse duas aequato examine lances
sustinet, et fata imponit diversa duorum,
quem damnet labor, et quo vergat pondere letum.

Vid. Naegelsbach p. 127: „Der Wille, der den Götterstaat beherrscht, ist kein absoluter, kein solcher, vor dem sich Alles beugte und in die Grenzen seiner befugten Stellung zurückträte. Nun wohnt aber dem Menschengeist ein unabweisliches Verlangen ein, der Vielheit ein Haupt, dem gegliederten Organismus des Götterhimmels seinen Halt in einer allen Widerstand ausschliessenden Einheit zu geben, und das Ergebniss dieses Verlangens ist der *Μοῖρα* Ueberordnung über die Götterwelt, ein weiterer Versuch, das Bedürfniss des Menschengeistes nach monotheistischer Weltanschauung zu befriedigen. Aber diesem in der *Μοῖρα* von ihm geschaffenen Haupte der Götter- und Menschenwelt kann die Vorstellung des Dichters, als ob sie den Begriff persönlicher Gottheit schon in der Erzeugung der Olympier verbraucht hätte, kein Leben, keine Persönlichkeit, keine Punktualität des selbstbewussten Willens, somit keine Fähigkeit geben, diesen Willen in der Energie des Niederkämpfens rebellischer Bestrebungen zu behaupten. Sie versucht also, nicht befriedigt von der unlebendigen, dunkeln Macht der *Μοῖρα*, deren Unpersönlichkeit für sie nichts Erfassbares ist, den einzig noch übrigen Ausweg, die *Μοῖρα* mit dem höchsten lebendigen Gott oder mit dem Gesammtwillen der Götterwelt identisch zu setzen. Sonach wird das religiöse Bewusstsein des Dichters, das ein Höchstes, Eines in der Götterwelt schaffen will, ohnmächtig erfunden, dasselbe mit selbstbewusster Lebendigkeit zu begaben. Das Unlebendige, das von ihm geschaffen wird, gewährt ihm auch keine Befriedigung; es kehrt daher zu dem höchsten Gotte zurück, den es schon hatte, ohne jedoch auch in ihm die Absolutheit des Willens und jener Persönlichkeit zu finden, die seinem Bedürfniss allein Genüge thut."

Cfr. Hartung. t. I. p. 6. Fr. Creuzer, Symb. u. Myth. t. II, p. 457, 458; 497.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

§. 9.

Conclusio.

Ex his, quae proposita sunt, videtur intelligi posse, quo ignorantiae Dei eiusque cultus negligentiae gentiles progressi fuerint, nec fuisse potestatis humanae, ut Deum, quem reliquissent aut amisissent, remota caelesti doctrina, propriis viribus, quantumvis perseverarent quaerere, reperirent. At cur illos per tot secula adeo caecutire et tot tantisque tenebris et flagitiis obrui Deus siverit, si quaeris, permisit eorum impietatem et inscitiam rerum divinarum, ut omnium misereretur. „Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.“ Rom. XI, 32. Misit itaque appropinquante seculi termino ducem magnum de caelo, qui veram religionem patefaceret, et fugitivos atque errones reduceret, ne effigies sua omnino ab ipso aberaret et deperiret. Nec idem non sapienter statuerat, ut homines, quorum in animis vestigia sua impressa reliquerat, ingressi vias suas, ipsum quaerentes nec invenientes, se sentirent ad veram Dei cognitionem per se non posse pervenire, et caeleste auxilium desiderarent. Atque quo maiore desiderio incenderentur neve missum veritatis doctorem tecto suo arcerent, aut praestitum sibi beneficium obtrusum et minus gratum ducerent: a principio processerat dispositio summi Dei, ut longo demum post tempore, diu et ardenter desideratus, ille nuntius et legatus in terram descenderet et in angustias summas adductis et desperatis subveniret. Desideria enim dilata crescunt, et crescentia capiunt, quod invenerint. Hinc illud adeo haud scio mirandumne sit, quod extremo seculo secundo Tertullianus apud gentes liberrime profitetur: „Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sed vobis reliquimus templa.“ Apol. XXXVII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf